



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Vita Alexandri Papae V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO
CHRISTI
1409.

iungit Azorius. Denique quidquid sit, Concilium Pisanum congregatum est a cardinalibus tempore schismatis, quo duo pontifices erant dubii & incerti: & indictum est non ad res fidei definiendas, sed ad schisma in ecclesia noxium abscondendum: quamuis reuera sublatum non sit, sed potius auctum, quia Gregorius XII. & Benedictus XIII. pontificatum deponere noluerunt. Quando plures sunt dubii & incerti Romani pontifices, iis inuitis cardinalium auctoritate Concilium generale conuocari, eiusque potestate omnes e pontificatu amoueri posse, hoc exemplo id parte secunda lib. 4. quaestione tertia probat, & ratione ista naturali: Quia cum non est certus pontifex, perinde est ac si pontifex nullus omnino esset; & sic eum ecclesia eligit. Cum ergo multi dubii & incerti pro pontificibus habentur, iure potest ecclesia nouum creare pontificem, & precipere, vt ceteri omnes pontificatu se abdicent: quod ni fecerint, potest eos sententia lata pontificatu deicere, & omnibus fidelibus imperare, ne eos ullo modo pro pontificibus agnoscant, habeant & venerentur.

Sed vndenam, dicat aliquis, colligi potest tantum iuris & potestatis esse penes ecclesiam? Resp. Id ex Christi institutione per necessariam & euidentem rationem deduci; ne scilicet Christus suam ecclesiam deseruisse videatur. Alioqui enim multis dubiis & incertis pro pontificibus summis in ecclesia se gerentibus, sane innumeris calamitatibus & malis ipsa premere- tur & vexaretur ecclesia. Hæc dictis locis Azorius.

Ob hanc rationem Hadrianus II. in epistola quæ lecta est & approbata in Synodo octaua generali, actione septima, scribit: Romanum pontificem de omnium ecclesiarum præsulibus iudicasse legimus: de eo vero quemquem iudicasse non legimus. Licet enim Honorio ab orientibus anathema dictum sit, sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus. Propter quam solum licitum est minoribus maiorum suorum moribus resistere: scilicet, quia nisi tali casu Christus ecclesia sua concessisset potestatem & auctoritatem de hæresi sui pastoris cognoscendi & diiudicandi, eam contra promissionem factam deseruisset, & pro pastore, doctore ac duce, eamdem lupo hosti ac corruptori commisisset.

ANNO
CHRISTI
1409.

VITA
ALEXANDRI PAPÆ V.

ALEXANDER V. instituti sancti Francisci religiosus, antea Petrus Philaretus de Candia vocatus, natione Cretenfis, commentariis quos in libros sententiarum scripsit, diuini que verbi concionibus clarissimus, theologiæ doctor profundissimus, ex archiepiscopo Mediolanensi & cardinali presbytero basilicæ sanctorum apostolorum, communi omnium cardinalium vtriusque obedientiæ suffragio, Gregorio XII. quondam vero pontifici, & Be-

Ff iij

nedicto XIII. antipapæ schismatico, renuntiantibus subrogatus est in Concilio œcumenico & generali Pisano sexto Kalendas Iulii, anno Domini 1409. tempore Ruper-
 ti imperatoris. Regnum Neapolitanum Ladislao eccle-
 siæ persecutori ademptum, consensu patrum omnium in
 Pisano Concilio præsentium, [ex eo gradu ad summum
 ecclesiæ culmen euectus est,] Ludouico Andegauensi
 contulit. Pisas discedens, Bononiam se recepit: ibique in
 morbum incidit, ex quo dum sibi mortem imminere sen-
 tiret, cardinales ad se accersiri iussit. Cumque ad pacem
 & concordiam, communemque ecclesiæ vtilitatem eos
 adhortatus fuisset, omnia quæ in Concilio Pisano decre-
 ta erant, sibi iusta videri dixit. Ad extremum cum di-
 xisset illud Christi, *Pacem meam do vobis, pacem relinquo*
vobis, spiritum Deo reddidit quinto Nonas Maii, anno
 1410. postquam octo mensibus ecclesiam rexisset. Bono-
 niæ in ecclesia sancti Francisci sepultus est. Pauperes vni-
 ce diligebat, plurimum humanus erat, & in quemuis li-
 beralis, adeo vt interdum omnibus exhaustis per iocum
 dicere soleret, se diuitem episcopum fuisse, cardinalem
 pauperem, pontificem vero mendicum esse.



VITA
 IOANNIS PAPÆ XXI.
 VVLGO XXIII.

ANNO
 CHRISTI
 1410.

IOANNES huius nominis vulgari opinione XXIII. pa-
 tria Neapolitanus, prius Baltazar Cossa vocatus, illustri
 familia natus, ex cardinale sancti Eustathii, & legato Bo-
 noniensi, factus est pontifex consensu omnium fere cardi-
 nalium vtriusque obedientiæ, decimosexto Kalendas Iu-
 nii anno Domini 1410. Ad pontificiam dignitatem promo-
 tus, electores imperii adhortatus est, vt Sigismundum
 Bohemiæ regem imperatorem deligerent. Quo facto, ei-
 dem in Italiam venienti, vt Ladislaum Romanam eccle-
 siam inquietantem compefceret, obuiam apud Laudem
 processit, cumque eodem Mantuam perrexit, vbi dum re-
 gia quadam magnificentia per D. Franciscum Gonzagam